

terrae, & ignis. Sunt ergo quatuor qualitates siue virtutes progredientes ab esse elemētorum, et quęlibet istarum potest dici de materia elementalī, & istę virtutes sunt, calefaciendi, infrigidandi, siccitatis & humiditatis. Et duę istarum qualitatū sunt actiue scilicet calidum & frigidum, duę vero passiue, scilicet humidum & siccum. Sunt ergo duo elementa per comparationem ad res elementales scilicet ignis & aqua actiua, & quasi duo passiua, sicut terra & aer. Quantum ergo inter se sunt actiua & passiua, et communicant in natura.

Hinc est quod vnum elementum communicat suam qualitatem alteri, vt sic circulando qualitatem illius possit conuertere in ipsum, & transmutare. Est etiam sciendum quod commune ^{Propinqui} est omnibus metallis, quod ipsorū materia est val-^{tas metallo} de propinqua ad inuicem in natura, in virtute, & ^{rum.} potentia.

Hinc dicit Albertus magnus: Quia in naturę operib. didicit proprio visu, quod ab vno origine fluunt aquę viuę, & in quadam parte fuit aurum et in alia argentum, quę tamen materia fuit vna, sed diuersus fuit locus in calore. Ideo diuersitas loci de-
purationis & digestionis metalli diuersitatem secundum speciem fuerit operata,